AUTHOR:

HEIMBROD, JOSEPH

TITLE:

BREVIS ROMANAE LINGUAE HISTORIA

PLACE:

GLIVICII

DATE:

1828

Master Negative #

91-80230-27

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Heimbrod, Joseph.
...Brevis Romanae linguae historia, cui adnexa est recensio eorum auctorum, qui ad orationem prosam ediscendam atque exercendam in scholis legendi sint, auct. Josepho Heimbrod...
Glivicii, Typis Gustavi Neumanni, 1828.
31 p. 20½ cm.

At head of title: Examen publicum in Gymnasio regio Glivicensi... indicit Josephus Kabath...



Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9/10/91 INITIALS RK
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202





EXAMEN PUBLICUM

IN

GYMNASIO REGIO GLIVICENSI

DIEBUS XII., XIV., XV. AUGUSTI HABENDUM

INDICIT

JOSEPHUS KABATH,
GYMNASII DIRECTOR.

INEST:

1. BREVIS ROMANAE LINGUAE HISTORIA, CUI ADNEXA EST RECENSIO EORUM AUCTORUM, QUI AD ORATIONEM PROSAM EDISCENDAM ATQUE EXERCENDAM IN SCHOLIS LEGENDI SINT, AUCT. JOSEPHO HEIMBROD, SUPER. ORDIN. GYMN. PRAECEPTORE.
2. ANNALIUM GYMNASII CONTINUATIO.

GLIVICII, MDCCCXXVIII.
TYPIS GUSTAVI NEUMANNI.

Viro Reverendissimo Doctissimoque

J o a n n i G e o r g i o L i n g e m a n n o

Gymnasii Heiligenstadiani Directori et Professori,

Commissariatus Episcopalis Assessori,

Praeceptori Suo Summopere Colendo

Omni, qua decet, Pietate

Huncce Libellum

D. D. D.

A u c t o r.

Brevis Romanae linguae historia, cui adnexa est recensio eorum auctorum, qui ad orationem prosam ediscendam atque exercendam in scholis legendi sint.

Nostris temporibus magnam diligentiam antiquorum populorum linguis adhiberi videmus, et præter omnes latinam atque graecam ediscendam esse nemo eruditus negat, nam opera utraque lingua scripta dignissima esse, quæ in manibus cujusvis docti versentur, omnes uno ore consentiunt. Multi adhuc quidem, qui speciem eruditorum præ se ferunt, inveniuntur, qui Græcam linguam e scholis amovendam esse censeant, quia commoda ex ea hausta perspicere aut nolunt aut nequeunt. Judicium horum veræ humanitati inimicorum multum in discipulos valere, quivis Græcæ linguæ doctor scit. Philologo, theologo aliisque ordinibus hanc linguam utilem esse non negant, juris consultos autem et medicos e. g. ea carere posse contendunt, haud cogitantes gymnasia non esse scholas hujus vel illius ordinis et hæc adesse, ut juvenis omnia edoceatur, quæ eum cuivis conditioni aptum reddere possint. Iidem vero longe aliter sentiunt de lingua latina, et eam omnibus commendant præcipue hac de causa, quod hæc lingua quasi omnium nationum vinculum sit, qua omnes eruditi utantur. Cum vero cognitio hujus linguæ multa alia commoda, quæ hic commemorare nimis longum esset, præbeat, nec græco neglecto bene percipiatur, diligentia, qua utrique linguæ incumbimus, omni modo laudanda est, et sine dubio omnes cum illo celeberrimo Hemsterhusio consentiunt, latinam linguam græcæ sic aptam et nexam esse, ut, qui alteram ab altera distrahat ac divellat, animi et corporis discidium inducere videatur, eamque pulchræ matris græcæ pulchram filiam esse. Utriusque igitur linguæ cognitionem magis magisque augere cujusvis præceptoris est, qua re motus in usum superiorum classium nostri gymnasii, in quibus Latinum trado, brevem Romanæ linguæ historiam conscripsi, cui recensionem eorum auctorum, qui stili latini causa legendi sint, adjunxi. Sperans fore ut haud inutilia edam, consilium cepi, occasione idonea data, quæ confeci, publice edendi.

Cum hic tantum de historia Latinæ linguæ usque ad ea tempora, quibus Romanum imperium occidentale a germanicis nationibus deletum est, locuturi sumus, optime eam in quatuor aetates dividere possumus, quæ quidem sunt: 1) aetas puerilis, 2) aetas juvenilis, 3) aetas virilis, et 4) senium.

Prima Aetas.

a Ch. 754 — 240. a. u. c. 1 — 514.

Romanos primis seculis nihil scripsisse notum est. Nec de hominibus, qui Romae fundamentum posuerunt, nec de nomine urbis aliquid certi habemus et ita vera falsis admixta sunt, ut nostris temporibus, quae vera sint haud bene invenire possimus, et quae Romani ipsi nominatim Cicero in suo opere de Romana republica narrant, tantum ostendunt, Romanos exemplum Graecorum secutos urbis originem libenter ad magnum virum, qui ex diis originem duxerit retulisse, licet Cicero ipse dicit: Historiam Romanam valde esse obscuram. Incolas terrarum ad Tiberim Pelasgos fuisse, Niebuhrius in sua historia Romana contendit et originem urbis Thyrrenicis Siculis adscribit, nomen ipsum autem graecum esse, argumentis haud refutandis probat. Hanc urbem serius ab Oscis occupatam et hos cum incolis antiquis conjunctos populum Latinum effecisse ostendere studet. Ex inscriptionibus antiquissimis et ex literarum Latinarum Graecarumque similitudine re vera patet, Graecos jam inde a primis temporibus magnam vim in Romanos habuisse, et primos Italiae incolas vel Graecos fuisse; vel jam ante historiae tempus cum Graecis mixtos credere possumus. Hac mutua conjunctione Latina lingua orta est et inter Romanos Varro jam viderat multa ex lingua Graeca in suam venisse. Analogia Graecae linguae nunc melius et accuratius inventa extra dubium est, totam fere Latinam linguam ab Aeolica fluxisse, reliquam autem partem Celtis originem debere, recentiores affirmant.

Romani ipsi, qui primum montem Palatinum habitarunt, primis seculis tantum bellis occupati erant, et ab Etruscis, quos jam mature cognoverunt, quique politiores erant, pauca accepisse videntur. Bella et agriculturam amabant Romani et animi culturam parum curantes usque ad finem primi punici belli a. u. c. 513. a. ch. 241. nulla literarum monumenta ullius momenti habebant, dum graeci eodem tempore maxime floruerunt literis. Prima monumenta, quorum apud seriores mentio fit, sunt: Carmina in epulis recitata. vid. Cicero Brutus c. 19. „Recte, inquam, Brute intelligis, atque utinam exstarent illa carmina, quae multis ante suam aetatem in epulis esse cantitata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus, in originibus reliquit Cato!“ comp. Valer. Maxi: 2, 1, 10. Majores natu in conviviis ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant: Fabulae Atellanae, lusus, quos Romana juventus ludis publicis addidit, vid. Liv. h. r. 7, 2. Juventus histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus jactitare coepit, quae inde exodia postea appellata consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt. compar: Valer. Max: 2, 4, 4.: Saliorum axamenta vel poëmata, cantus Fescennini, quos agricolae post condita frumenta recitarunt et alia. vid. Horat. epist. 2, 1, 139 sequ. Praeter haec carmina, quorum reliquiae Ciceronis tempore non ab omnibus intelligebantur, pontifices Maximi annales confecerunt, in quibus res memoratu dignissimae erant notatae. Libri lintei, de quibus etiam hoc tempore sermo est, nomina consulum eorumque res gestas continuisse dicuntur.

Tandem cum Romani post continua bella Italiam inferiorem sibi subjecissent et cum Graecia finito Illyrico bello 524. a. u. c. majus commercium agerent, anno 526 Isthmicorum ludorum participes facti excolendae linguae magis vacarunt, praecipue cum opes ex occupatis terris Romam apportatae, inter cives florentem rerum conditionem, sine qua literae florere non possunt, propagarent. Paucis annis ante 452 leges duodecim tabularum promulgatae sunt, quorum argumentum et materiem ex Italia inferiori et Graecia invexerunt. Sexto seculo fine hujus aetatis Livius Andronicus doctus Graecus Tarenti natus Livii Salinatoris, cujus liberos educavit, servus et ob suam scientiam manumissus primus fabulas edidit, (vid. Valer. Max: 2, 4, 4.) 514 a. u. c. 240 a. Ch. quas e graeca in latinam linguam verterat, et Romanorum indoli et auribus accomodaverat.

Aetas juvenilis.

Una cum Livio Andronico, qui et odysseam in latinum sermonem transtulit, Romanae literae florere coeperunt et haec aetas omnium maximi momenti est, nam libris scriptis frequentius editis lingua ipsa magis magisque excolebatur. Livium secuti sunt viri, qui ob studium, quod sermoni suo dederunt, maximam laudem merentur, eorum labor fuit difficillimus, nam grammaticam linguae, qua per tot secula, quin monumenta literis mandata essent, usi erant Romani, in ordinem redigere debuerunt. Quo diutius vero lingua scriptis caret et quo minus viri erudit regulas certas et principia necessaria, quae in scribendo et loquendo observanda sint, proponunt, eo majo-

res difficultates iis auctoribus, qui publice prodire volunt, superandae sunt. Inveniunt quidem grammaticam, sed omni modo turbatam, nam diurnus usus modo haec, modo illa mutat et non raro constructiones et dictiones licitas habet, quas grammatica ejicere debet. Viros igitur, qui hac aetate exstiterunt, omnia probare et ordinare oportuit, ut regulas certas, quas in scribendo sequerentur, sibi facerent. Huic rei accessit, ut Romani semper Graecis usi multas Graecas voces atque constructiones reciperent, quae Romanae linguae erant aptandae. Recte igitur omni admiratione digni sunt inter poetas, Cn. Naevius, Q. Ennius, M. Accius Plautus, P. Terentius Afer, Caecilius Statius, M. Pacuvius etc. et inter prosae orationis scriptores Q. Fabius Pictor, L. Cincius Alimentus et praeter omnes ille celeber M. Porcius Cato Censorinus, qui primus linguae Latinae artem adhibuit, ejus regulas accuratius destinavit et simul in originibus suis historiam patriam excolere studuit. Inter poëtas eminent Ennius 513 — 585; quem patrem Romanae poëseos, omnia enim poëseos genera attigit, vocant, ille amicus Catonis multorumque nobilium Romanorum, M. Accius Plautus 527 — 570 et P. Terentius Afer Laelii et Scipionis Africani amicus 561 — 594. a. u. qui uterque comoedias docuerunt; M. Pacuvius 600 et L. Attius tragoediarum scriptores. Hos auctores jam quendam perfectionis gradum assecutos esse, ex eorum scriptis elucet, quae, quomodo lingua paulatim a primis initiis exculta fuerit, optime ostendunt.

Apud Romanos quoque, quod in omnibus populis videmus, probatur, poëtas primos auctores esse, qui metro et rhythmo orationem suavem, numerosam et quasi mollem reddant. Poëtas autem, cum ubique elegantiam spectant, imagines metaphorasque usurpant, magnam vim et bonam quidem in linguam habere satis notum est. Poëtas citatos ex Graecis auctoribus fabularum materiem sumsisse, reliquiae eorum docent, plerumque Graeca Latine reddebant et inter comœdias et tragœdias paucae tantum sunt, quae Romanorum characterem, personas et res gestas exprimant. Sic e. g. Terentius Afranius, Pacuvius et Attius fabulis togatis et praetextatis excelluerunt, vid. Horat. ars poët. 285.

Nil intentatum nostri liquere poëtae;
Nec minimum meruere decus, vestigia Graeca
Ausi deserere, et celebrare domestica facta:
Vel qui praetextas, vel qui docuere togatas.

comp. Quinct. inst: orat. 10, 1, 100. Togatis excelluit Afranius. Nobiles Romani hoc tempore Graecis valde delectabantur, et in eorum studium acerrime incumbebant praesertim finito Macedonico bello. Graeci servi in omnibus fere familiis paedagogi et praeceptores, Graeci rhetores et philosophi, qui publice Romae docuerunt, Graeci cognitionem magis magisque propagabant. Licet pluries Graeci rhetores Senatus jussu expellerentur, quia strenui Romani mollitiem eorum moribus et doctrina gigni credebant, tamen haud diu hae leges observabantur et paulo post expulsionem illi revertebantur. Inter Graecos philosophos, qui eruditione sua magnam vim in Romanos habuerunt, nominandi sunt: Carneades Academicus, Critolaus Peripateticus et Diogenes Stoicus. Romani graeca lingua vulgo utebantur et ipse severus Cato senex huic linguae studuit. Hoc modo Romanorum animi culturam Graecam evasisse, mirandum non est, et recte Romanos Graecorum discipulos vocare possumus, vel etiam imitatores. Hanc aetatem quidem certis finibus describere nequimus, sed plerumque eam ad annum 74 a. Ch. vel 680 a. u. deducunt docti et inde ab hoc tempore tertia aetas, vel aetas virilis initium capit, quae etiam Ciceroniana-Augustea vocatur.

Romani, quorum respublica nunc summum potentiae et potestatis fastigium assecuta erat, optima rerum conditione fruiti, opibus omnis generis ornati et locupletati literis et altiori animi cultura ita delectabantur, ut quivis nobilis juvenis vel Athenis, vel Rhodi vel in aliis Graeciae urbibus, quibus in locis celeberrimae scholae, ubi ars rhetorica et philosophia tradebantur, florebant, animum suum excoleret. Praeter omnes disciplinas eloquentia primum locum obtinebat, nam qui Romae munus publicum sibi parare voluit, vel rem graviorem exequi, eloquentia populum sibi conciliare debuit, et jam ante hoc tempus clarissimi oratores Romae exstiterunt, quales Cato, Servius Sulpicius Galba, uterque Gracchus aliique sunt, quorum Cicero pluries, mentionem facit, vid. Cic. Brut. 17. 19. 21. Orat. 1, 53. 2, 65. Bibliothecae publicae Romae instituebantur, libri ex occupatis provinciis Romam lati aedes publicas et privatas ornabant. Primam bibliothecam Macedoniae victor Aemilius Paulus 586 instituit, eum L. Sulla ille famosus dictator, qui et annales vel commentarios de rebus suis scripsisse dicitur 675, et M. L. Lucullus 700 secuti sunt. Cicero, Atticus, M. Terentius Varro, Caesar conquisitam praestantissimorum librorum copiam habuerunt, Asinius Pollio in templo Libertatis Aventinam bibliothecam omnium usui permisit 716, Caesar bibliothecas Graecas et Latinas, quas maximas posset, publicavit, data M. Varroni cura comparandarum ac digerendarum, Augustus Octavianam 721 et Palatinam 726 confecit, quas quivis adire potuit. Romanorum multi, republica vexata et turbata, facultatibus comparatis contenti, publicas res minus nunc curabant, et potius literis atque artibus vivebant. His temporibus, grammatica optime exculta, elegantiam

orationis spectabant scriptores, omnia disciplinarum genera florebant et summum altitudinis fastigium assequebantur. Poëtae et prosi sermonis auctores inter se certarunt, ut linguam emendarent et perfectiorem redderent. Ad res literarias magis explicandas et inquirendas societates doctae conjunctionem iniërunt, Cicero saepius cum amicis convenit, ut inter se disputarent; simili modo Maecenas praecipuus literarum fautor eruditos et doctos viros semper secum habuit, et ipse Augustus in templo Apollinis Pallatini viros doctrina insignes collegit, ut praelectiones haberent.

In carminis genere, quod didacticum appellare solemus, excelluerunt: 1, P. Virgilius Maro n. 684. m. 735. suis libris georgicon, quos optime depingit Horat. Saty. 1, 10, 41, 45.

— —. Molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camoenae.

Graecos quidem imitatus est, sed verborum delectu et junctura, sententiarum veritate, lumine ac naturali aliquo facilique et apto nexu ingenii artisque insignis omnia ita composuit ut leni et facili cursu defluant. Nihil duri et horrendi in iis invenimus. Habent Quinctiliano teste inst. or. 6, 3, 20 decus et excultam elegantiam. Rusticorum orationem asperam sic scite et honeste tractavit, ut ubique politum, elegans et urbanum ingenium facile agnoscamus. Vid. Virgil. oper. ed. Heyne.

2) Q. Horatius Flaccus n. 689 m. 746. cujus epistolam ad Pisones vel artem poeticam acutarum sententiarum praestantia et ubertate insignem huc referre possumus, nam artem, quam vocant dramaticam, praecipue spectat. 3) P. Ovidius Naso n. 711 a. u. m. 17 p. Ch. cujus carmina ars amandi et remedia amorum hic nominanda sunt, nam duo opera, medicamina faciei et Halieuticon libri, Ovidio plerumque adscripta perierunt. Poëtici studii quidem tantam venam sortitus erat, ut sponte sua carmen veniret ad numeros aptos et quidquid diceret, versus esset, sed nihilominus magis arte quadam oratoria, lusu verborum et imaginum, atque ipsa lascivia nonnunquam placere studet.

Epicam poësin docuit Catullus, cujus versus ob altum sensum, qui iis inest et simplicem omni affectatione vacuam compositionem nos delectant. Inter epica hujus poëtae carmina epithalamium Pelëi et Thetidos primum locum obtinet. Eum excepit Virgilius, qui in Aenëide sua Homerum ac poëtas Cyclicos imitatus nonnunquam quoque Alexandrinos ante oculos habuit, et quia patriam historiam tractavit amorem et

favorem omnium Romanorum sibi paravit. Licet in hoc carmine, quod Virgilius ipse, ut deleretur cupiit, Homeri ingenium et simplicitatem desideremus, elegantiam tamen atque cultum summum in eo agnoscimus. Singula loca egregia nominari possunt in hoc poëmate, quod extremo perpoliendi labore caret. Romani in hoc carminis genere nihil praestantius ediderunt. Bucolicum quoque carmen Virgilius e Graecia Romam transponere tentavit in suis eclogis; Theocritus ejus dux fuit. Virgilio elegantiae laudem sicuti dignitatis et doctrinae nemo invidebit, sed simplicitate et naturali quadam venustate rerumque copia ac varietate cedit Theocrito.

Elegiam, quae severis et strenuis Romanorum moribus ab initio haud apta fuit, serius paulo ante Augusti aetatem, cum Romana indoles jam mollior esset, Romam tulerunt Catullus et Gallus. Tibullus n. 711? m. 735 Propertius (m. 739) summum, quem apud Romanos assecuta est, perfectionis gradum ei dederunt. Tibullus sensorum veritate, naturali aliqua elegantia et verborum versuumque compositione insignis ceteros multo superat, nam Propertius, cui magna ars et excellens ingenium denegari non potest, Callimachum et Philetam imitatus magis jam doctrina splendere studet. Ovidius, qui in suis libris Tristium, amorum et in epistolis ex Ponto elegiam pertractavit, omnium ultimum locum habet.

Lyrica poësi graecae filia tantum eruditiores delectabantur et primus viam ei aperuit jam pluries dictus Catullus, quem Horatius secutus est omnium princeps. Horatius omni doctrina liberali politissimus poëta, graecorum lyricos Romana veste indutos cum suis civibus optime communicare intellexit. Omni levitate animi, quae multis in carminibus perspicitur, nunquam sensus pulchri et excelsi offenditur, nusquam elegantia et dignitas desiderantur. In legendis Horatii odis Graeci, quos imitatus est, Archilochus, Alcaeus, Sappho, Pindarus, nobis in mentem veniunt et licet Graecos semper fere ante oculos habuisse videtur, tamen et carmina composuit, quibus Romana indoles et natura inest. Una cum Horatio Romanorum lyrica poësis quasi interiit, et qui post eum existunt, minoris sunt momenti.

Comœdia et tragœdia apud Romanos nunquam altos radices egerunt, locum comœdiarum, quas Terentius praecipue excoluerat, mimi et pantomimi obtinuerunt, qui dialogis et monologis sententiarum ignobilium et jocorum erudito haud aptorum plenis (si ita dicere licet) intermixti communis vitae mores repraesentarunt. v. Aul. Gell. 20, 9. Tragœdia quidem magis floruisse dicitur et ille celeber Asinius Pollio, qui una cum Maecenate literas magnopere tuitus est, tragœdias scripsit, quae autem

ad nos non pervenerunt. Ovidii Medea prae omnibus laudatur. vid. Quinct. 10, 1, 98. Ovidii Medea videtur mihi ostendere, quantum ille vir praestare potuerit, si ingenio suo temperare, quam indulgere maluisset. comp. Ennii Medea ed. H. Plank Gœttingae 1807.

Didactico carmini et adnumerare possumus Satyras, quae Romanis propriae sunt, Ennius et Pacuvius prima tentamina ediderunt, Lucilius eas emendavit et facetiis acerbis stulta hominum facta irrisit, Horatius sic acceptas magis excoluit et egregiis suis sermonibus ostendit, quomodo homines agendo cogitandoque sibi contradicant et jocis seriisque intermixtis optimam vivendi normam edocet. Epistolas, quas vocant poëticas, hoc aevo composuerunt Horatius, Ovidius aliique.

Sed hac aetate non solum omni carminum genere excelluerunt Romani sed etiam oratio pedestris ita exculta est, ut summum fastigium adipisceretur, de quo mox deinde delapsa est. Lingua Latina per poëtas polita et per grammaticos in ordinem redacta nunc præcipue ab oratoribus excolebatur. Romanae civitatis constitutio eloquentiae favebat et ut jam supra dictum, qui publica munera sibi parare voluit, prae aliis disciplinis eloquentiae operam dare debuit, qua de causa jam antiquissimis temporibus magni oratores Romae exstiterunt. Ab initio nullis certis regulis adhibitis, quivis, ut res postulabant, loquebatur, serius autem cum rhetores Graeci artem oratoriam docerent, nobiles eos audiebant et nunc oratores his in scholis edocti publice prodierunt. Tiberius Sempronius et Caj. Gracchus, Q. Metellus, Crassus, Hortensius, Caesar et princeps omnium Cicero inprimis floruerunt. Historiae quoque, Graeca exempla secuti, viri ingeniosi omnem operam navarunt, Caesar, Cornelius Nepos, Sallustius et Livius, elegantia sermonis, compositione et ceteris historici virtutibus insignes sunt. Ceterae disciplinae atque artes, quales sunt philosophia, mathesis, medecina astronomia &c. nunquam altos radices apud Romanos egerunt, et licet Cicero omni studio ad philosophiam incumberet ejusque studium inter populares excitare studeret, tamen nunquam philosophiae subtiles et insignes investigatores Romani evaserunt.

Senium linguae Latinae.

14. p. ch. — 476. —

Postquam Romanae reipublicae imperium ad unum erat delatum, literatura paulatim interire cœpit. Primis temporibus post Augusti mortem usque ad M. Aurelium nonnulli quidem viri fuerunt, qui veterem literarum splendorem partim continere

partim restituere tentarent, sed postea praecipiti cursu ad interitum disciplinae properarunt. Una cum Romae interna pernicie literae, artesque evanuerunt et sine magna opera causas invenire possumus, quae earum corruptelam adducerent. Ille magnus Romanorum animus, quem omnes populi admirabantur, quem Senatus populusque saepius pessima rerum publicarum conditione ostenderant, una cum ruina libertatis evanuit, civitatis status plane mutatus est simulque populi ingenium. Tantum in civitatibus, quae certis et bonis legibus gaudeant, in quibus principes literas tueantur et ament humanitatem et eruditonem vigere posse, historia docet, servitio autem corpus et animum supprimi clarum est. Nobilissimi Romani inter bella civilia per acies aut proscriptione ceciderant, ceteri, quanto quis servitio promtior, opibus et honoribus extollebantur, ac novis ex rebus aucti, tuta et praesentia, quam vetera et periculosa mallebant. Suspectum erat Senatus populique imperium, ob certamina potentium et avaritiam magistratuum, invalidum legum auxilium, quae vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur. Tacit. ann. 1, 2. Morum corruptela totum populum ceperat, nobiles a publicis muneribus remoti luxuriei se dabant et voluptatum cupiditate correpti artes nihili habebant. Singuli, qui labentem rempublicam scriptis et factis servare voluerunt, oppressi non raro patriae amorem morte luebant. Hoc tempore Romani plerumque facultatibus carebant, quae ad animi culturam et literarum studium augendum necessariae sunt. Singuli quidem partim bellis et provinciarum oppressione, partim, quia imperatoribus adulabantur, opulenti erant, major autem populi pars egestate vexabatur. In civitate, cui communis salus deest, literae florere non possunt, nam, qui illicito modo opes sibi pararunt, praesertim humili loco nati, quorum multi post Augusti tempora inveniuntur, disciplinas contemnunt, credentes populum rudem melius tolerare servitium. Tempora, quibus non raro ipsae divitiae crimini vertebantur, quibus principibus grati acceptique quemvis egregium et virtute insignem persequebantur, quibus principes ipsi optime de iis meritos viros e medio tollebant, quibus caedes illegitima legibus sanciebatur, literis et artibus non favebant. Augusti successores, Tiberius homo tristi et suspicaci animo, amens Caligula, stupidus Claudius, crudelisque Nero literas non solum non amarunt, sed omnes imo, qui ingenio excelluerunt, persecuti sunt. Cum serius exercitus tantum imperatores facerent, cum saepissime homines rudes bellica tantum virtute insignes Romae imperarent, continuaque interna bella res publicas omni ex parte turbarent, magis magisque eruditio doctrinaque evanuerunt, et bibliothecae publicae, quas nonnulli imperatores instituerant, solae literarum ruinam impedire non valuerunt. Sub

imperatoribus Vespasiano, Tito, Nerva et Trajano, qui omnes amore literas amplexi sunt, (vid. Tacit: hist: 1, 1. Rara temporum felicitate, ubi sentire, quae velis et quae sentias dicere licet;) rursus literae florere coeperunt, nam non solum viros doctos secum habuerunt sed etiam scholis instituendis, praemiis tribuendis ingenium excitare et populum magis erudire studuerunt. Romae, Mediolani, Massiliae aliisque in urbibus ludi publici erant, quorum doctores haud exiguo praemio affecti publice docebant. Domitianus ipse, iste scelere contaminatus imperator ab initio bibliothecas, quas Augustus fundaverat, incendio devastatas restituit vid. Sueto. Domit. v. c. 20. tamen mox neque in ipsos modo auctores saeviit sed in libros quoque eorum, delegato triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio et foro urerentur; expulit insuper sapientiae professores atque omnem bonam artem in exilium egit, ne quidquam honestum occurreret. Post supra dictos principes, cum barbarae gentes undique Romanam civitatem aggrederentur, sholis iterum dirutis omnis literatura periit, et quae Constantinus Constantinopoli extructa, Theodosiusque literarum causa susceperint, haud magna commoda tulerunt et denique imperium divisum ultima lapsus causa fuit. Lingua, quam primis nostrae aetatis temporibus auctores non neglexerant, nunc barbaris vocibus ita referta fuit, ut priori vix similis nominari possit et scriptores, qui in fine Romani imperii occidentalis vixerunt barbarie sermonis insignes fuerunt, ita ut grammatici ad veterem Romanorum linguam intelligendam libros conficerent, quibus eam edocerent. Quaenam sors auctorum Domitiani tempore fuerit, optime Juvenalis in satyra septima depingit, in qua de misera studiorum doctorumque conditione disputat. In ea clare ostendit, poëtas, historicos, oratores et grammaticos ad vilia quaeque ministeria paupertate adactos fuisse, ne fame perirent.

His temporibus literis tam perniciosis evanuerunt: 1) vera historia. Una cum libertate et libertas veritatem pronuntiandi periit. comp. Tacit. hist. 1, 1. Post conditam Urbem octingentos et viginti prioris aevi annos multi auctores retulerunt, dum res populi Romani memorabantur pari eloquentia ac libertate, postquam bellatum apud Actium, atque omnem potestatem ad unum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia cessere, simul veritas pluribus modis infracta primum inscitia reipublicae, ut alienae, mox libidine assentandi, aut rursus odio adversus dominantes. In annalibus hic celeber auctor iisdem fere verbis utitur. Jam crimen laesae majestatis habebatur, si quis reipublicae temporum eorumque virorum, qui eam sustinere studerent, mentionem faceret. vid. Tacit. ann. 4, 34. Cornelio Cosso, Asinio Agrippa coss. Cremutius Cordus postulatur, novo ac tunc primum audito crimine, quod editis annalibus laudatoque M. Bruto, C. Cassium Romanorum ultimum dixisset. Cordus egregia oratione se defendit, sed frustra, egressus e senatu vitam abstinentia finivit. His patet tantum homines pravorum morum, ingenio carentes historiam conscripsisse. 2) eloquentia; Augustus quidem reipublicae formas servavit sed jam sub imperio ejus orationum publicarum locum tenuerunt rhetoricae declamationes. Oratores, quibus tantum panegyrici in imperatores et causae privatae relictae erant, sermone, sententiis et facetiis pleno placere studebant. 3) poësis, quae se jactare coepit in vano artis quaesitae studio, in speciosae doctrinae ostentandae magis laude quam in interioris animi sensu exprimendo posito. Tam longo temporis spatio singulos viros doctrina et humanitate excelluisse scimus et haud rectum esset eos silentio transire, praecipue cum praeter ceteros tam egregie excellant. Inter prosae orationis scriptores commemoratione digni sunt: Suetonius, uterque Plinius, Vellejus, Seneca, Quinctilianus, Justinus, Curtius et Tacitus princeps historicorum aliique, inter poëtas Lucanus, Valerius Flaccus, Juvenalis, Silius Italicus, Martialis &c. sed etiam in illis dictio, narratio atque compositio magis arte quaesitae sunt quam nativae, et hi plerique tumidi priorum tantum imitatores sunt. Qui autem extremis civitatis temporibus vixerunt, ut Solinus, Ammianus Marcellinus, Aurelius Victor &c. quidem, rerum quas tractarunt, ratione habita non omnino contemnendi sunt, sed sermo eorum vocibus peregrinis et barbaris referta est.

Historia Romanae linguae descripta quaestio oritur, quinam auctores digni sint, ut ad sermonem latinum ediscendum in scholis legantur et explicentur? Nec auctores aetatis juvenilis nec senii inter scriptores recipiendos esse, qui stili causa legantur, sed tantum, qui Ciceronis Augustique tempore floruerint, respondendum esse censeo, primis enim temporibus, ut jam supra dictum, lingua, quae per sex secula monumentis literariis caruit, respectu grammaticae non satis erat exculta, Graeca ab omnibus latinis scriptoribus recepta nondum bene intermixta erant Latino, nec ita conjuncta, ut jam latinam indolem induissent. Singuli auctores, licet multis in locis egregia orationis et sententiarum conformatione insignes sunt, multis tamen laborant vitiis, quae in scribendo sunt evitanda. Huc accedit, quod primi auctores, quorum opera adhuc

restant, poëtae sunt. Poëtas autem orationis prosae exemplo esse non posse, quin amplius demonstrem, quivis mecum intelligit, praesertim cum Plautus et Terentius, de quibus hic tantum sermo esse potest, ut comici, in fabulis sermonem plebis ingenio accomodarent. Plautus nominatim multas dicendi formulas, quibus seriori tempore haud usi sunt meliores scriptores, usurpat sicuti et multas voces serius obsoletas et verba, quae Ciceronis aetate aliam significationem habuerunt. Plauti lectionem ad latinam linguam melius cognoscendam multam valere, quis neget? ex eo nempe videmus, qui dicendi modus plebis fuerit, quomodo declinationes, conjugationes et ceterae grammaticae partes excultae sint. Idem fere de Terentio dicendum est: Quod compositionem et sermonem spectat, praeferendus est Plauto, nam est mollior et elegantior illo, et praecipue ad sermonem vulgarem ediscendum aptus, sed et multis Graecis constructionibus, vocibus ac verbis a seriori aevo alienis utitur; sic e. g. verba deponentia, uti, frui vesci, activorum modo accusativum apud eum regunt. Iisdem de causis Catonem quoque, licet prosae orationis scriptor et nonnunquam egregius est, imitari non possumus, nam saepius verbis et vocibus obsoletis utitur. Auctoribus, qui post Ciceronem vixerunt, plerumque consuetudo est priores tantum imitandi, paene omnes excepto Tacito indole nativa carent. Formam linguae quidem optime reddunt, regulas et figuras grammaticae non solum bene cognitas habent, sed quoque optime observant, ut praeter omnes Quinctilianus ostendit, sed iis deest illa simplicitas et elegantia dictionis, ille ornatus orationis, quem in Cicerone, Salustrio Caesare admiramur, in iis desideramus illam sententiarum et rerum simplicem at vere classicam expositionem. Studio oratoriae dictionis correpti, qua Seneca et Curtius prae ceteris placere student, dignitatem, simplicitatem et brevitatem negligunt. Ipse Tacitus et Vellejus Paterculus, qui multa ratione commendandi sunt, his temporis sui vitiis non omnino absolvendi sunt, nam saepe verba, constructiones haud probandas usurpant. Auctores seriores silentio transeo, nam eorum sermo multis peregrinis et ex aliis barbaris nationibus adscitis verbis impletus, contra regulas grammaticae non raro peccat.

Ex his dictis patet tantum virilis aetatis auctores nobis restare; sed et inter eos quendam delectum habendum esse, quivis mecum consentiet, nam non omnes commendandi sunt. Primum poëtae hujus aevi in usum prosae orationis adhibendi non sunt, nam cum eorum finis praecipue eo consistit, ut lectorem delectent, communem loquendi viam non raro deserunt, et vividiore animi vi excitati regulis linguae minus adstricti sunt, quam pedestris sermonis scriptores. Metrum poëtae majorem licentiam, rem, quam animo conceperit, depingendi praebet, et licet metrum in sensa et cogitationes animi exprimendas nullam vim habeat, tamen in formam, qua exprimuntur, multam valet. Diversae sunt verborum, periodorumque constructiones et dum poëtis nova atque insolentia a quotidiano sermonis usu intermissa placent, prosae orationis scriptoribus communi via abire non licet. Poëtae e. g. metaphoris haud usitatis utuntur: carpere quietem pro quiescere, tendere iter velis pro navigare, tum vetustis et insolentibus verbis e. g. ollus pro ille, cassida pro cassis. Apud poëtas saepius occurrunt anacolutha et constructiones ad sensum, quod evitandum est; poëtae ubique imagines inspergunt et omnibus rebus inanimatis vitam et animam inspirant, quod imitari non licet. His nullo modo contendere volo, poëtarum lectionem in sermonem pedestrem vim non habere, sed potius contenderim legendis poëtis sensum venusti et pulcri esse excolendum. Inter prosae orationis scriptores Varro et Vitruvius exempla imitationis proponi non possunt, nam ille licet linguae Romanae peritissimus atque doctissimus investigator saepius nimio etymologiae studio ductus, antiqua recentibus praefert et sui temporis immemor, quae inusitata essent, revocat, hic vero architectis perutilis sermoni ipsi parum curae adhibuit. Inter omnes igitur auctores nobis restant: Cornelius Nepos, C. Sallustius Crispus, T. Livius, C. Iulius Caesar et M. Tullius Cicero, de quibus nunc plura dicturus sum.

Cornelium Nepotem Veronensem fuisse et Hostiliae natum, communi nunc doctorum sententia creditur, licet alii Parmanensem eum fuisse tradunt et quidem ea de causa, quod Plinius Padi accolam eum vocat. Fuit amicus celeberrimi poëtae Catulli, qui ei carmina sua dicavit. vid. Catull. car. 1. et Aulo Gellio narrante Ciceronis familiaris. vid, n. a. 15, 28. Cornelius Nepos et rerum memoriae non indiligens et M. Ciceronis ut qui maxime amicus familiarisque fuit. Libertus Callisthenes anno 724 sub Augusti imperio veneno eum necasse dicitur, nam eum anno 721 nondum mortuum fuisse patet ex vita Attici (hoc anno enim hic supremum diem obiit) cui post mortem hujus quatuor capita addidit, ut ex testimoniis virorum doctorum intelligitur. Cornelius diligens fuit auctor, nam multa scripsisse fertur, quae autem non omnia ad nostra tempora pervenerunt. Perdita opera sunt: Vita Catonis diversa ab ea, quae adhuc restat; 2, vitae imperatorum Romanorum; 3, Libellus, quo distinguit literatum ab erudito vid. Suet. de gramm. 4. 4, Chronicorum libri 3. 5, Exemplorum libri vid. Aul. Gell. n. a. 7, 18. 6, Illustrium virorum libri. 7, Poëtarum

ac oratorum libri. 8, Libri de vita Ciceronis. A. Gel. n. a. 15, 28. &c. Praeter fragmenta horum operum adhuc supersunt vitae excellentium imperatorum, quibus plerumque vitae Attici et Catonis adnexae sunt. Per longum tempus hae vitae cuidam Aemilio Probo, qui quarto Seculo p. Chr. regnante Theodosio vixit adscriptae sunt; donec doctissimus Lambinus hujus opinionis falsitatem ostendit, et nostro tempore omnes consentiunt Cornelium Nepotem Catulli et Ciceronis amicum auctorem vitarum esse. Hanc opinionem rectam esse et dicendi genus, quo utitur Nepos et nonnulla loca in vita Catonis et Attici, in praefatione &c. clare ostendunt. Vitas autem has Aemilium Probum in lucem revocasse, ita ut nonnulla loca interpolaret ac depravaret, easque hac ratione conformatas Theodosio imperatori obtulisse Bardili in sua edit. Cornel. Nepot. recte statuit, nam loca plura occurrunt, in quibus alium scriptorem videmus et interpolatoris manum agnoscimus. Aemilium hoc opus de novo recensuisse putandum est, et dedicatio hujus operis causa fuit, quod editores medii aevi totum opus Aemilio attribuerent. Vitas a Cornelio non sic ordinatas fuisse, quales nunc habemus, hoc ita evidenter Titzius demonstravit, ut de hac re non diutius dubitari videatur. Cornelius Nepos re vera auctor est juventutis et dignus, qui in scholis legatur, nam utitur, ut optime Muretus var. lect. 8, 1. adnotat, mundissimo ac castissimo orationis genere. Elegantissimi sermonis scriptorem non immerito in principum aurei seculi scriptorum censum referimus. Constructio verborum est bona, dicendi phrasis plerumque pura et Romana et Ciceronis aetati apta, tanta etiam suavitas est sermonis Latini, ut appareat in eo nativum quendam esse leporem non ascitum, quem praecipue in vita Attici edidit, ut hoc opus elegans absolutum quasi nominare possimus. Simili modo et Datamis vitae, ut ipse in primo capite dicit, Cornelius plus operae navavit et accuratiore in ea stylo usus est, quam in ceteris, qua de re credere possumus illas vitas vel ultima correctoris lima jam ab initio caruisse vel serius maxime corruptas et interpolatas fuisse. Periodorum constructio et conjunctio est inaffectata, candida et simplex. His virtutibus ornatus praecipue scholis commendandus est, praesertim cum in descriptione Graecarum rerum non raro et Romanarum institutionum mentionem facit, atque sic nobis multa tradit, quae antiquitatibus hujus populi clariorem lucem addant. In singulis ejus pretium, si historiam ipsam spectemus, minoris aestimandum esse viri docti censent, sed cum sine dubio in exponendis vitis varios Graecos auctores sequeretur, quos fortasse, quin eos accurate recenseret, adhibuit, de hac re mirari non possumus, illum in plerisque historicum esse summa fide dignissimum probant in Graecis auctores gravissimi Thucydides et Plato aliique, quos non sine judicio res ab exterarum gentium ducibus gestas commemorans ad partes vocavit.

2. C. Sallustius Crispus in Sabinis 668 p. r. c. natus est. Mature jam ad rempublicam accessit vid. b. c. 3. S e d e g o a d o l o s c e n t u l u s, i n i t i o, s i c u t i p l e r i q u e s t u d i o a d r e m p u b l i c a m l a t u s s u m. Anno 702 tribunus plebis factus Milonem, quem Cicero defendere studuit, vehementer persecutus est. Biennio post a Censoribus Oppio Claudio Pulcro et L. Calpurnio Pisone, cum inter Caesarem et Pompejum apertior dissensio exstiterit, senatu motus est, partim quia Caesaris amicus fuit, partim, ut plerumque narratur, ob pravos mores. Deinde a Caesare, qui totam Italiam sibi subjecerat, restitutus, Quaestoris munus adeptus, dum Pompejus et Caesar de imperio Romanae reipublicae in Graecia dimicarunt, magistratus gerendi causa Romae remansit, 708 praetor a Caesare praefectus est decimae legioni, cujus in seditione, nam legio Caesarem sequi noluit, vitam paene amisisset, sed seditione mox oppressa res in Africa ei a Caesare demandatas egregie gessit et ita hunc sibi conciliavit, ut eum Zamae proconsulem cum imperio relinqueret, vid. auctor. b. afri. c. 97. Hac dignitate praeditus fortasse jussu Caesaris, qui Africae terras nunc aspere tractavit, Numidiam in formam Romanae provinciae redactam expilavit, vid. Dio Cass. 43, 9. et inde magnas divitias Romam tulit. Quum paulo post ejus reditum Caesar in Senatu interfectus esset, ingentes divitias a publicis negotiis remotus consumsit. Itaque in monte Quirinali magna pecunia fundum satis amplum sibi emit, atque ibi hortos illos amoenos, qui Sallustiorum nomine noti sunt, statuis, tabulis pictis, porticibus ornatos condidit eosque post mortem reliquit Soronis nepoti, qui eos amplioribus etiam ornamentis decoravit et majoribus praeterea sumtibus pulcherrimos reddidit.

Sallustius non solum in suis hortis otio et luxuriae vixit sed et literis, scripta sua componens, donec anno aetatis quinquasimo primo. 718 a. u. c. obiret. Mores Sallustii veterum plures incessivere, exprobrant ei nempe illicitam voluptatam cupiditatem et avaritiam, vitia, quibus ut ipse dicit, suo tempore multi erant dediti. vid. b. cat. c. 3. N a m p r o p u d o r e, p r o a b s t i n e n t i a, p r o v i r t u t e, a u d a c i a, l a r g i t i o, a v a r i t i a v i g e b a n t. Adeo pecuniae profundens fuisse dicitur, ut imo patris domum vendere cogeretur aeris alieni solvendi causa. Eum illicitis voluptatibus nimis se dedisse plures veterum tradunt e. g. Aulus Gellius n. att. 17, 18. M. V a r r o i n l i t e r i s a t q u e v i t a, f i d e h o m o m u l t a e t g r a v i s C. S a l l u s t i u m s c r i p t o r e m i n a d u l t e r i o d e p r e h e n s u m a b A n n i o M i l o n e l o r i s b e n e c a e s u m d i c i t e t e u m d e d i s s e t p e c u n i a m, d i m i s s u m. comp. Sueto. de illust. grammat. c. 7. Se ambitione mala sui temporis correptum fuisse ipse fatetur. b. cat. c. 3. Contra supra dicta crimina partim se ipse defendit b. cat. c. 3:

Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant. Quae tametsi animus aspernabatur insolens malarum artium — — seq: partim plures recentiores, inter quos nominatim Wielandius ad Horat. Saty 1, 2, 48, aliique.

Licet persuasum mihi est, Sallustium non tantopere vitae turpi deditum fuisse, quam plures scribunt, tamen omni errore non absolvendum esse puto, nam ipsa hominis natura hoc mihi probare videtur, cum plerique homines, qui juventutem haud recte peregerint, provectiori aetate ex consuetudine morosiores fiant, et vitia ceterorum magnopere castigent. Hoc Sallustius in scriptis saepius facit, iisque perlectis criminibusque, quae veteres ei exprobrant, consideratis, assentio iis, quae Loebel dicit: Sallust stürzte sich in die Leidenschaften seiner Zeit und am Abende des Lebens, des Treibens überdrüßig, voll Unmuth und Unzufriedenheit mit sich selbst, richtet er die Laster, denen er selbst unterlegen war mit dem herben Tadel der Betrachtung und Reflexion. Comp. Wachsler's Handbuch der Geschichte der Litteratur Th. 1. pag. 203. qui vir doctissimus ejusdem opinionis est. Sallustium odio in Pompejum inflammatum fuisse ejus verba ostendunt, nam vocat eum oris improbi et animo inverecundo; eum porro vitio, cujus turpitudinem graviter in exordio b. c. reprehendit laborasse, aliud nempe clausum in pectore, aliud promtum in lingua habuisse, ex adulationibus, quibus Caesarem adit, satis patet.

Sallustius, ubi animus ejus a multis miseriis atque periculis requievit, et reliquam vitam a republica procul habendam decrevit, eique non fuit consilium secordia atque desidia bonum otium conterere; neque agro colendo aut venando servilibus officiis intentum aetatem agere, sed a quo incepto studio ambitio mala eum detinuerat, eodem regressus vid. b. c. c. 4, statuit res gestas populi Romani carptim, ut quaeque memoria digna videbantur, perscribere et conscripsit igitur bellum Catilinarium et Jugurthinum atque historiam Romanam, in qua res Romanorum inter bellum Jugurthinum et Catilinarium gestas memoriae mandavit. Posterioris operis tantum fragmenta habemus, ex quibus De Brosses Francogallus supplementis additis opus confecit, quod in vernaculam linguam vertit Schlüter. Osnab. 1799. 6 vol. Exstant quoque duae literae ad Caesarem scriptae de ordinanda republica, quas multi Sallustii non esse putant, quia a ceteris scriptis discrepent, tum respectu sermonis, tum principiorum, quae in illis proponit Sallustius; sed cum, eundem auctorem varia vitae conditione diverse scribere posse, multi probant, eas Sallustio tribuendas esse censeo; declamationes, quae ejus nomen ferunt, seriori tempori adscribendas esse extra dubium est. Sallustium inter Romanos

historicos paene primum locum tenere jam inter veteres contenderunt Tacitus et Martialis, ille enim eum annal. 3, 30 rerum Romanarum florentissimum auctorem et hic 14, 189 primum in historia vocat. In ipsa rerum tractatione earumque descriptione paene unicus est, Thucydidem, quem imitatus est, quidem non omnio assequitur, sed tamen fateri debemus Sallustium suo exemplo bene usum fuisse. In historia conscribenda veritati praecipue studuit, nam partim alii auctores idem dicunt, partim ejus verbis confidere possumus. cf. b. c. 4. Quod mihi a spe, metu, partibus reipublicae animus liber erat. Igitur de Catilinae conjuratione quam verissime potero, paucis absolvam. Ipse, quae depingit, vidit, vel talibus fontibus usus est, ex quibus accuratam rerum descriptionem haurire potuit et sine dubio, dum in Africa versatus est, belli Jugurthini argumenta collegit. Omnes boni historici virtutes, rerum cognitio solida, judicii haud vulgare acumen, incorruptum veritatis studium eum commendant lectori. His virtutibus addit orationem politam et egregiam quandam sermonis gravitatem et eloquentiam, qua de causa Guilielmus Sirletus Cardinalis de eo dicit: egregie latine loquitur, et gravis ac densus est, et civilis sapientiae plenus et Thucydideus. Sallustius cf. Aul. Gell. n. a. 3, 1, 16 subtilissimus brevitatis artifex in serie narrationum eas res omnes, quae vel facile suppleri possint, vel si additae essent, minuerent historiae dignitatem aut prorsus silentio praetermittit aut nutu velut demonstrat. Hinc paucis interdum lineis virorum imagines Catilinae, Caesaris, Catonis optime depingit, saepius rerum dicendarum causas uno verbo significat, et ipsis orationibus concinna rerum significatione vehementer animos audientium commovet. Illam Taciteam brevitatem, quae nonnunquam ad obscuritatem accedit, plerumque evitat, pleraque in eo sunt perspicua, sententiae clarae. Ambagibus inimicus rapit in medias res, inde praesentium et infinitivorum frequens usus.

Ut orationi suae quandam dignitatem daret, priscas revocat voces, formas atque significationes et amat praecipue verba et phrases vetustiores Catonis Censorii vid. Quinct. 8, 3, 29. et Suet. de illus. gra. 7. ubi Lenaeus Grammaticus eum appellat priscorum Catonis verborum ineruditissimum furem; novas quoque voces interdum fingit, ut loquentia et usitata proprie adhibet e. g. agitare pro vivere, incerti p. qui cerni nequeunt &c. Quo priscorum formarum studio motus semper scribit, optumus, senati consultum, plebes et verbis deponentibus passivo sensu utitur e. g. adepta libertate. Haec, quibus et insolitam verborum constructionem saepe adnumerare possumus, re vera nonnunquam obscuritatem afferunt, sed iis omissis omni imitatione dignus est. vid. Sallust. ed. Kuhnhardt.

3. C. Julius Caesar natus 654 ab. u. c. occisus Idibus Martiis 710 a sexaginta amplius conjuratoribus in Curia Pompeji, jam in pueritia egregia educatione fruitus est, nam ex casta parente natus non in cella emtae nutricis sed gremio ac sinu matris educatus est, cujus praecipua laus fuit, tueri domum et inservire libris. vid. Tacit. de orator. c. 28. Jam anno 670 patre orbatus magno studio literis operam navavit et mature specimina firmi constantisque animi dedit, nam cum amici ejus ex Sulla peterent, ut adolescenti Caesari, qui hunc crudelem virum offenderat, parceret ille dixit: vincerent, ac sibi haberent: dummodo scirent, eum, quem incolumem tantopere cuperent, quandoque optimatium partibus, quas secum simul defendissent, exitio futurum; nam Caesari multos Marios inesse. v. Suet. Caes. c. 1. Ut viam ad honores sibi aperiret stipendia fecit inde ab anno 674 et paulatim tantam auctoritatem sibi paravit, ut primus esset Romanae civitatis, et licet ipsos inimicos semper maximis beneficiis affecisset, ob ambitionem nimiam occisus est. Fuisse traditur excelsa statura, colore candido, teretibus membris, ore paulo pleniore, nigris vegetisque oculis, valetudine prospera. v. Suet. Caes. 45. Circa corporis curam morosior, ut non solum tonderetur diligenter et raderetur sed velleretur etiam. Suet. ibid. Habuit peracre judicium et homo fuit valde acutus et multum providens. Cic. ad. divers: 9, 16. 6, 7. Valuit memoria v. Cicc. in orat. pro Ligar. c. 12. Spero etiam te, qui oblivisci nihil soles nisi injurias. &c. Teste Plinio simul scribere, legere, dictare et audire potuit simulque quaternas septenasque epistolas dictare. Eloquentia aut aequavit praestantissimorum gloriam aut excessit, Cicero in Bruto c. 75 oratores enumerans negat: se videre, cui Caesar debeat cedere, aitque eum elegantem, splendidam quoque atque etiam magnificam ac generosam quodam modo rationem dicendi tenere, adjungereque ad hanc elegantiam verborum latinorum illa oratoria ornamenta, ut videretur tanquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine. Ad Cornelium Nepotem de eodem ita scripsit: Quid? oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? Quis sententiis aut acutior aut crebrior? Quis verbis aut ornatior aut elegantior? vid. Suet. Caes. C. 55. comp. Quinct. 10, 1, 114: C. vero Caesar, si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat. Exornat tamen haec omnia mira sermonis, cujus proprie studiosus fuit, elegantia. Caesar pronuntiavit voce acuta, ardenti motu gestuque non sine venustate.

Suet. Caes. c. 55. Mitis clemensque natura, magno animo insignis, vigilans et laborum patiens fuit. vid. Suet. Caes. c. 74, 75. In ulciscendo natura lenissimus, vid. Cicero ad divers. 6, 6: In quo admirari soleo Caesaris gravitatem et justitiam et sapientiam seq. comp. Sallust. b. c. 54. Caesar beneficiis magnus, mansuetudine et misericordia clarus factus in animum induxerat laborare, vigilare, negotiis amicorum intentus, sua negligere &c. Res gessit maxima acritudine, sed victoria reportata temperantissimum se gessit. vid. Coelius in epist. Cicer. ad divers. 8, 15. Ec quem autem Caesare nostro acriorem in rebus gerendis, eodem in victoria temperatiorem aut legisti aut audisti? Fuit porro ambitiosus et nonnunquam impotens atque arrogans, nam jam Hispaniae quaestor 686 Gades intrans, animadversa apud Herculis templum magni Alexandri imagine ingemuit et quasi pertaesus ignaviam suam, quod nihil dum a se memorabile actum esset in aetate, qua jam Alexander orbem terrarum subegisset, missionem continuo efflagitavit, ad captandas quam primum majorum rerum occasiones in urbe. vid. Suet, Caes. c. 7. 77.

Quibus animi corporisque virtutibus Caesar ornatus permagna effecit domi bellique et scriptis, nam praeter commentarios de bello gallico et civili plura opera scripsit, quae omnia ad nos non pervenerunt. Haec autem Suetonio narrante. vit. Caes. c. 56 sunt: de analogia libri duo, Anticatones totidem et poëma Iter, epistolae ad Senatum, ad Ciceronem, et scripta quaedam, quae adolescens confecerat, ut laudes Herculis, tragoedia Oedipus, item Dicta collectanea. Hos libros omnes publicari, vetuisse Augustum Suetonius ibidem commemorat. De commentariis Caesaris, praecipue si tantum sermonem spectamus, quo conscripti sunt, omnes veteres et recentiores splendidissimum judicium ferunt, satisque videtur hic tantum, quod Romani ipsi dixerunt, proferre, cum recentiores idem fere repetant.

Commentarios dici eas narrationes, quae neglecto adventicio cultu de rebus ipsis tenuiter exponunt, constat, ut qui majus et ornatius opus scribere velit, habeat, unde petat cf. Cic. Brut. 75. Graeci tales commentarios ὑπομνήματα vel ἀπομνημονεύματα appellarunt, et Francogalli sub voce memoires idem intelligunt, qua de causa A. Hirtius auctor octavi libri d. b. g. in epistola huic libro praemissa dicit: Caesaris commentarii editi sunt, ne scientia tantarum rerum scriptoribus deesset.

Idem Hirtius in eadem epistola hoc de commentariis judicium fert: Quos (commentarios) a me continuatos utinam qui legent, scire possint,

quam invitus susceperim scribendos, quo facilius caream stultitiae atque arrogantiae crimine, qui me mediis interposuerim Caesaris scriptis. Constat enim inter omnes, nihil tam operose ab aliis esse perfectum, quod non horum elegantia commentariorum superetur; — — qui adeo probantur omnium judicio, ut praerepta, non praebita facultas scriptoribus videatur. Cujus tamen rei major nostra quam reliquorum est admiratio; ceteri enim, quam bene et emendate; nos etiam quam facile et celeriter eos perfecerit, scimus. Erat autem in Caesare quum facultas atque elegantia summa scribendi, tum verissima scientia suorum consiliorum explicandorum. Ei assentit Cicero Brut. 75: Tum Brutus: Orationes quidem ejus mihi vehementer probantur, complures autem legi. Atque etiam commentarios quosdam scripsit, rerum suarum, valde quidem, inquam, probandos: nudi enim sunt, recti et venusti, omni orationis ornatu, tanquam veste detracta. et Tacitus de germ. c. 28 dicit: Validiores olim Gallorum res fuisse, summus auctorum D. Julius tradit. comp. Tacit. de orator. c 21. Ab initio quidem recentiores silentio transire in animo habui, unum tamen ut afferam, mihi liceat, nempe celeber. Joannem de Müller in suo opere allgemeine Geschichte 1. B. S. 293. So bezeichnet Cäsar in seinen Geschichtsbüchern jeden Gegenstand mit dem angemessensten Ausdrucke, die seltenen Betrachtungen sind in seiner großen Manier und hin und wieder Züge unbeleidigender Ironie, er schrieb dies Werk schnell und wie Quinctilian sagt, in gleichem Geiste, womit er gestritten. Hos commentarios tam egregio sermone confectos secundum Ciceronis libros esse praestantissimos eosque juventuti studiosae latinarum literarum maxime commendandos, omnes consentiunt, cum praeterea commodam aperiant viam, qua discipuli ad rerum Romanarum antiquitates accedere, earumque cognitionem magna ex parte sibi comparare possint; dignos eos esse, qui a juventute, quae puro, eleganti bonoque sermoni Latino studet, dignos, qui in scholis explicentur recte contendit Daehne in praefat. suae editionis. Caesarem in describendis suis factis nonnunquam veritatem neglexisse, putare possumus, et nominatim in libris d. b. c. plures narrantur res, quas alii auctores aliter et verius tradunt. Jam Asinius Pollio haec de commentariis judicat: vid. Sueto. Caes. c. 56 Pollio Asinius parum diligenter, parumque integra veritate compositos putat commentarios, cum Caesar pleraque, et quae per alios erant gesta, temere crediderit, et quae per se vel consulto, vel etiam memoria lapsus, perperam ediderit.

4. Titus Livius Patavinus Eusebio teste natus est 695 a. u. c. et quarto anno imperii Tiberii Caesaris e vita decessisse dicitur, anno vitae septuagesimo sexto p. ch. 19. Patavium ei patriam fuisse veteres tradunt. Quae de Livii parentibus, studiis, rebus domesticis et publicis narrantur, falsa esse videntur, qua de causa silentio haec praetermittimus et tantum famam esse Livium post mortem Augusti in patriam rediisse commemoramus. Livium philosophiae et eloquentiae studiis deditum fuisse ex scriptis ejus apparet eique quoque magnam rei militaris et civilis cognitionem fuisse eodem modo historia ejus probat. Augusti fuit amicus cf. Tacit. ann. 4, 34. Titus Livius Cn. Pompejum tantis laudibus tulit, ut Pompeianum eum Augustus appellaret, neque id amicitiae eorum offecit. Tanta autem vivus fama fuit, ut Plinio epist. 2, 3 auctore quidem Gaditanus gloria nomineque ejus commotus ad eum visendum Romam venerit, statimque ut viderat abierit. Contexuit historias rerum Romanarum et illas ab urbis primondiis usque ad annum 744 seu ad bellum in Germania gestum a Druso Augusti privigno hujusque mortem persecutus est libris 100 vel ut aliis visum est 102, quorum paulo minus 35 ad nos pervenerunt, et hi quidem non integri. Decem horum priores historiam Romanam ab origine urbis ad annum 461, reliqui 21 — 45 ab initio belli punici secundi ad finem bellorum cum Perseo Gentioque gestorum amplectuntur. Epitomae omnium librorum, quae restant, quarumque confector Florus fuisse dicitur, haud bene malum reficiunt, et supplementa ad Livium, quae doctissimus Frenshemius ex epitomis modo dictis, ex Graecis Latinisque scriptoribus composuit, magnam quidem doctrinam prae se ferunt, sed minime desiderium Livii, praecipue ubi res sui temporis depingit, tollunt. Jam ante Livium multos Romanos historiam sui populi partim versibus, partim oratione prosa scripsisse notum est. Nominandi sunt Q. Ennius, Q. Fabius Pictor, M. Porcius Cato, L. Calpurnius Piso, quos omnes praeter alios Livius, Cicero et Aul. Gellius commemorant. Livium eos ante oculos habuisse, secuti inter Graecos Polybium, qui historiam a principio belli punici secundi ad finem regni Macedonici persecutus est, ex annalibus ipsis patet. Livius omnes boni historici virtutes in se conjunxit, nam studium veritatis, quam recte primam historici virtutem vocamus, ita ei proprium est, ut sine ira et studio res gestas hominesque depingat, qua de causa Cremutius Cordus in Tacit. ann. 4, 34 eum fidei praeclarum nominat. Illum in primordiis historiae Romanae famam vulgarem secutam esse, et hic pluries errasse negari non potest, nam quis obscuram historiam Romanam clariorem reddere possit? Breviter igitur eam absolvit, ut prolixius, quae ipse viderat vel ex certis fontibus hauserat, cum lectoribus communicaret, et ut jam supra dictum, maxime dolendum libros hos periisse

praesertim cum apud Augustum licuit, aperte veritatem pronuntiare, v. Tacit. 4, 34 ex quo loco videmus Livium, quin Augustum offenderet, Brutum et Cassium Caesaris percussores insignes viros saepe nominasse. Livius, ut bene Ruperti in sua editione dicit, verum et praeclare dicit, sive res sive verba respicias. Quae quovis anno in republica Romana contigerint, accurate et ordine, graviora fuse, leviora paucis exposuit, regionum, populorum, urbium indolem ac naturam bene adumbravit, hominum celebrium non modo res bene gestas aut male sed et virtutes, vitia, ingenium vere descripsit et egregie; quomodo acies instructa, pugnaque commissa; quibus consiliis et qua ratione memorabilis res acta sit, qui ejus eventus et quae hujus causae fuerint, seu casus, seu temeritatis, seu sapientiae, quid in republica constituenda, administranda et mutanda, quid in eligendo campo, locoque castrorum, quid in ordinanda acie, in subsidiis disponendis, in procursu, concursuve, quid ab aequitatu et peditatu bene aut male sit factum, scite et luculenter declaravit.

Livii, quem Tacitus in vit. Agri. c. 10 eloquentissimum veterum auctorem et ann. 4, 34, eloquentiae praeclarum nominat, oratio est pulchra, numerosa, elegans et nitida, simulque dulcis, jucunda et urbana, narrationi semper apta et accommodata. Periodorum constructio praecipue imitatione digna est, et una cum Tacito sermonem oratorium, quem imo nonnulli vitio ei vertunt, admirari debemus, semper in componendo modum et consensum observat. Livius simplex et dilucidus rebus et affectibus convenienter scribit, ita ut nonnunquam ejus orationem poëticam nominare possimus. Quod judicium de eo quoque fert Quinctilianus inst. orat. 10, 1, 32 ubi miram facundiam et lacteam eloquentiam ei esse dicit. comp. eundem 10, 1, 101: Neque indignetur sibi Herodotus aequari T. Livium, cum in narrando mirae jucunditatis, clarissimique candoris, tum in concionibus, supra quam enarrari potest, eloquentem: ita, quae dicuntur, omnia cum rebus, tum personis accommodata sunt: affectus quidem, praecipue eos, qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commendavit magis. Ideoque immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est.

Livium non omnino vitiis parvulis carere, quis neget? jam suo tempore vituperationem praecipue Asinii Pollionis, qui prae ceteris urbanus sibi videretur, non effugit, et imperator Caligula Suetonio narrante cf. vit. Calig. c. 34, Livii opera abolere voluit. Sed et Virgilii et Titi Livii scripta et imagines, paulum

abfuit, quin ex omnibus bibliothecis amoverit: quorum alterum, ut nullius ingenii, minimaeque doctrinae, alterum ut verbosum in historia, negligentemque carpebat. Asinius Pollio, de quo Tacitus de orat. c. 21 dicit: Asinius quoque, quamquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse. Pacuvium certe et Attium non solum tragoediis expressit, sed etiam orationibus suis, adeo durus et siccus est: Livio Patavinitatem exprobravit cf. Quinct. inst. orat: 1, 5, 56. et 8, 1, 3. Quae illa fuerit, non consentiunt docti et re vera hoc vitium ita latet, ut nostris temporibus id deprehendere non possimus, sed una cum docto Morhosio, qui eruditissimum libellum de Patavinitate scripsit, credimus, nulla quidem alia re potuisse contineri hoc vitium, nisi sermone urbanitatem Romanam parum redolente. Istam reprehensionem non utique caruisse invidia et malignitate idem doctus nobis persuadet. Livium nonnunquam esse verbosum et periodis nimis longis et implicitis, praecipue constructione ablativorum consequentiae et participiorum lectionem difficiliorem reddi, negari non potest. Sunt quoque, qui Livio ob accuratam et frequentem portentorum et prodigiorum enumerationem superstitionem objiciant, sed hoc crimen refutare haud opus videtur, nam Romanus Romanis scripsit.

5. M. Tullius Cicero celeberrimus omnium Romanorum auctorum natus est Arpini ab. u. c. 648 ant. Ch. 106 patre M. Tullio ex ordine equestri et matre Helvia. Jam a pueritia Cicero optimo ingenio instructus inter aequales eminuit et 663 poëma Pontium Glaucum scripsit et 664 Arati carmina latine convertit. Sumta eodem anno toga virili, ut viam ad magistratus sibi patefaceret, jurisprudentiae et eloquentiae operam navavit. Romanos Graecosque doctores habuit, inter quos tantum nomino Molonem Rhodium et Diodotum Stoicum. Sic bene praeparatus in publicum prodiit, et in prima oratione Roscium 674 optime defendit. Posthac, ut melius in literas incumberet atque valetudini consuleret, Athenas profectus est 675, ibique philosophos academicos et epicuraeos audivit, sicuti plures rhetores et 676 Rhodum ad Molonem se contulit. 677 Romam reversus animi cultura insignis, Romanis Graecisque auctoribus bene cognitis, pluresque habuit orationes. Sic Romano populo carus anno publicis causis se dicavit, 678 quaestor omnibus suffragiis creatur et 679 in Siciliam missus est, inde munere optime administrato anno 684 Verrem illum famosum Siciliae praefactum accusavit, eumque in exilium ire coëgit. Haec causa magnam justitiae laudem Ciceroni tulit, quia nemo illum potentem sed turpem hominem accusare ausus est. 685 Cicero fit Aedilis

curulis et 688 praetor, Pompejoque favens legem Maniliam, per quam bellum Mithridaticum huic demandatur, defendit. Tandem 691 Cicero, licet homo novus multisque Patriciorum infensus consulatum adeptus est, qui illi ob detectam et depulsam Catilinae conjurationem aeque fuit gloriosus ac periculosus, nam cum in agenda causa plures offendisset eorumque odium et invidiam sibi contraxisset, anno 695 Clodius tribunus plebis, instigantibus ipso Caesare et Metello, rem eo deduxit, ut Cicero patria expelleretur et opibus spoliaretur. Frustra veste sordida indutus misericordiam civium movere studuit, et tandem 696 sponte sua in exilium migravit, anno sequenti tamen a Pompejo adjutus ex exilio honorificentissime revocatur. 701 Cicero fit augur et 703 pro Consule in Ciliciam profectus est, ubi hostibus fusis ab exercitu imperator appellatur. In bello civili inter Pompejum et Caesarem Pompeji partes sequitur, sed eo deleto in gratiam Caesaris rediit. Libertatis amantissimus, Caesare occiso, Cassium Brutumque ad rempublicam restituendam sectatur. Antonius tum Romae potentissimus frustra Ciceronem sibi conciliare studet, qui e contrario in orationibus Philippicis ita vehementer illum adoritur, ut ille ejus interficiendi consilium capiat. Antonius et Octavianus antea sibi inimicissimi una cum Lepido nunc conjuncti multos e medio tollunt Romanos, inter quos et Ciceronem, quem Octavianus odio Antonii tradit. Cicero 711. 43 a. Ch. in fuga ab hostibus, quos miserat Antonius captus et interfectus est. Ciceronem per totum vitae tempus quamcunque occasionem arripuisse orationum habendarum, ex multis ejus intelligitur orationibus, quae partim adhuc restant, partim perditae sunt.

Cicero, quem nec clari majores nec familiae nobilitas commendarent, tantum splendido ingenio, permagnaque diligentia, quam omni rei adhibuit, paulatim summos reipublicae honores adeptus est. In omnibus muneribus publicis administrandis fidum bonumque civem se gessit. Patriae amantissimus, libertatis oppressoribus inimicus initio bellorum civilium Pompeji partes secutus est et deinde Caesare occiso, quem, ut ex pluribus epistolis patet, nunquam amare potuit, Bruti Cassiique. Amore patriae ductus Antonium opprobriis cumulavit, nec ullis promissis in ejus partes trahi potuit. Quum famosus Catilina Romam delere studeret, Cicero ab hostibus internis cinctus, constantiam et virilem animum omni admiratione dignum ostendit, sed negare non possumus, eum praecipue extremo vitae tempore varii, inconstantis et timidi animi signa dedisse. Accusatus a Clodio quam abjecte, quam timide se gessit! Post Pompeji caedem, quisnam adulationem et blanditias, quas Caesari obtulit, probare potest! Inter vitia magno viro indigna numeramus quoque ejus immensam gloriae cupiditatem; saepius de iis,

quae patriae praestiterat, gloriatur et jam senex, cum consulatum suum versibus describeret, non erubuit de se ipso dicere: O fortunatam natam me Consule Romam! et Luccejo tum temporis historico scripsit: Ardeo cupiditate incredibili, neque, ut ego arbitror, reprehendenda, nomen ut nostrum scriptis illustretur et celebretur tuis. epist. ad divers. 5, 12.

Ciceronem omnium Romanorum celeberrimum auctorem fuisse, sive spectas orationem, sive verborum, phrasium et periodorum constructionem atque conjunctionem apud omnes constat. Inde a juventute opera varii argumenti composuit, sed praecipue aetate provectiori, cum republica vexata in otio viveret. Opera, quotquot supersunt, plerumque in quatuor tomos digeruntur. Primo continentur: Libri rhetorici, quibus artem oratoriam, quam ipse per totam vitam tam egregie exercuerat, certis regulis comprehendit. Sunt autem: a. Quatuor libri ad Herennium, qui et nonnunquam cuidam Gryphoni adscribuntur. b. de oratore libri tres. c. Brutus sive de claris oratoribus. d. Orator. e. Topica. f. de partitione oratoria. g. de optimo genere dicendi. Secundo: Orationes partim ad senatum, partim ad populum, partim ante judices habitae. Tertio: Epistolae, pleraeque politicae, ex quibus viros illius temporis, eorum mores atque indolem optime intelligere, sicuti et historiam Romanae civitatis egregie cognoscere possumus. Quarto: Philosophica opera, in quibus nec systema certum sequitur nec ordinem firmum et stabilem servat, sed ex Graecis philosophis ea deligit, quae Romanis apta haberet. Cicero in philosophia, quam vocant theoreticam, Academiae et in ea, quam dicunt practicam, stoae addictus, simulque Aristotelis dogmatibus bene usus est, et sine ejus scriptis historia philosophiae minus clara esset. Scripta philosophica autem sunt; a. Academicae quaestiones. b. de finibus bonorum et malorum. c. Tusculanae disputationes. d. de natura deorum. e. de divinatione. f. de fato (fragmentum). g. de legibus. h. de officiis. i. Cato major sive de senectute. k. Laelius sive de amicitia. l. Paradoxa. Inter perdita opera primum locum tenent libri de republica, quorum multa fragmenta paucis abhinc annis Angelus Maius Romae invenit, et publicavit. Cicero et Poësin attigit, sed judicio omnium, invito Apolline.

Tantam multarum rerum scientiam Cicero, ut jam supra dixi et ingenio et diligentiae, qua omnes literas et artes amplexus est, debuit, nam ipse in Bruto c. 89 — 90 seq. ubi, quomodo animum et mentem excoluerit, tradit, dicit: Inde a prima juventute oratores meo tempore insignes audiens, acerrimo studio tenebar, quotidieque

scribens et legens et commentans, oratoriis tantum exercitationibus contentus non eram. Cum porro ut ex eodem loco intelligitur, nullus dies ab exercitationibus oratoriis vacuus esset et saepe declamitans commentaretur idque faceret multum Latine sed Graece saepius, sermo ejus quandam adeptus est facilitatem, qua omnia, quae voluit, sine opera proponere et proferre potuit. Comp. Tacit. de orator. c. 30. Itaque Hercule in libris Ciceronis deprehendere licet, non geometriae non musicae, non grammaticae, non denique ullius ingenuae artis scientiam ei defuisse. Ille dialecticae subtilitatem, ille moralis partis utilitatem, ille rerum motus causasque cognovit. Ita enim est, ita ex multa eruditione, ex pluribus artibus et omnium rerum scientia exundat et exuberat illa admirabilis eloquentia. Cicero fuit orator, qui de omni quaestione pulchre et ornate et ad persuadendum apte diceret, pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium cf. Tacit. de orat. c. 22. Primus Cicero excoluit orationem, primus et verbis delectum adhibuit et compositioni artem. Stilo praecipuam diligentiam adhibuit, qua de causa, ubi res poscit, est brevis vel uberior et luxuriosus. Coram populo eleganter, ornate et amoene dixit, coram senatu graviter et concise. Ad Atticum brevitatis amantem presse, ad alios uberius, aliter ad Terentiam, aliter ad ceteros scripsit. Ubique est perspicuus et accuratus. Omnia ejus scripta gravitate, elegantia, urbanitate et copia excellunt. Ex structura periodorum et recto legitimoque verborum formularumque ordine et delectu patet ejus ingenium philosophicum, quo omnia tractavit. Quas Ciceroniani sermonis egregias virtutes, insignem illam eloquentiam, hanc dictionis elegantiam et multi sui temporis et fere omnes posteri ita admirati sunt, ut Ciceronem praeter omnes dignum habeant, qui ad sermonem Latinum ediscendum legatur. Die Sprache Cicero's recte animadvertit Zumpt in sua grammatica, wird immer als die Norm für den richtigen prosaischen Ausdruck angenommen werden müssen, weil sie im öffentlichen Leben und durch dasselbe gebildet, durchaus von aller gesuchten Willkührlichkeit frei ist.

Jam inter aequales Cicero multos habuit obtrectatores, inter quos Asinius Pollio, Calvus et Brutus principes sunt vid. Tacit. de orat. c. 18. Satis constat ne Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus et tumens nec satis pressus, sed supra modum exultans et superfluens, et parum Atticus videretur. Legistis utique et Calvi et Bruti ad Ciceronem missas epistolas: ex quibus facile est deprehendere, Ciceronem a Calvo quidem male audivisse, tanquam solutum et enervem; a Bruto autem tanquam fractum et elumbem. comp. Quinct. inst. or. 12, 10, 12 Ciceronem et suorum homines temporum incessere audebant ut tumidiorem et Asianum et redundantem, et in repetitionibus nimium, et in salibus aliquando frigidum et in compositione fractum, exultantem ac paene viro molliorem. Haec opprobria maximam partem invidiae originem suam debere, quivis videt; tantum in scriptis quae juvenis edidit, re vera nonnunquam est lentus in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus ut in orationibus pro Roscio Amerino et Quinctio, in scriptis autem, quae jam senior et juxta finem vitae composuit, postquam magis profecerat, usuque et experimentis didicerat ut in oratione pro Milone, pro rege Dejotaro, in orationibus Philippicis, in operibus philosophicis nominatim in disputationibus &c. omnium exemplar recte nominatur et habetur. Legendum igitur esse Ciceronem, ut quisque ei esset simillimus, jam Livius ad filium scripsit vid. Quinct. inst. or. 10, 1, 39.

Editiones singulorum auctorum, quas ab initio addere apud me constitui, omitot, nam fines disputationis servandi sunt. Utinam, quae scripsi, bene excipiantur!

Nachrichten

über das Königl. katholische Gymnasium in Gleiwitz
betreffend das Schuljahr vom 1. October 1827 bis zum 16. August 1828
von dem Director Joseph Kabath.

I. Lehrverfassung.

Uebersicht des in dem verflossenen Schuljahre 18 27/28 ertheilten Unterrichts.

Prima. Ordinarius der Director.

1. Religion. a) für die katholischen Schüler mit Secunda 2 St. wöchentl. — Hr. Religionslehrer Hänsel. Die ganze christliche Glaubenslehre, nach G. A. Fischer's vollständigem Religionslehrbuche für die gelehrten Schulen, München bei Lindauer. b) für die evangelischen Schüler, mit Secunda und Tertia gemeinschaftlich 1 St. wöchentl. — Hr. Pastor Ansorge. Von den mannigfachen Pflichten des Christen, von der Unsterblichkeit und Jesu Verdiensten um dieselbe, von dem künftigen Leben und von den ewigen Belohnungen und Strafen, nach der Bibel, aus welcher die Beweise für die genannten Lehren genommen wurden.

2. Erfahrungs-Seelenlehre 1 St. — der Director, nach Mathiä's Lehrbuche für den ersten Unterricht in der Philosophie.

3. Griechisch 6 St., und zwar 3 St. Aeschylus Agamemnon statarisch und Homers Odyssee 14. Ges. kursorisch, und 1 St. Grammatik nach Buttmann und deutsch-griechische Uebungen nach klassischen Mustern — Hr. Oberl. Heimbrod; 2 St. Plato's Phädon, mit Auslassung einiger längern Stellen — der Director.

4. Latein 6 St., und zwar 2 St. Cicero's tuskulanische Untersuchungen, das 1. Buch — der Director; 2 St. Horaz 2. Buch der Satiren mit Auswahl und 2. Buch der Episteln — Hr. Gymn. L. Rotter; 3 St. lateinischer Styl — Hr. Gymn. L. Wolff, und zwar 2 St. Zurückgabe der verbesserten freien Aufsätze und der monatlichen Extemporalien, und Uebersetzen aus dem Deutschen ins Lateinische, nach der Uebungsschule von We-

der von S. 29 — 66; 1 St. Wiederholung der Syntax, römische Literatur nach Jeune und Wachler, und Anleitung zum lateinischen Styl nach Fülleborn's und Mathiä's Entwurfe.

Die Erklärung der griechischen und lateinischen Klassiker geschah in lateinischer Sprache, und wurde nach kurzen von den Lehrern am Ende der Stunde gegebenen Andeutungen nebst der Uebersetzung von den Schülern zu Hause ausgearbeitet.

5. Hebräisch mit dem obern Cursus der Secunda 2 St. — Hr. Religionsl. Hänsel. Aus der Grammatik nach Gesenius die Lehre von den unregelmäßigen Verben und ein Theil der Syntax; Uebersetzung und Erklärung einiger Capitel aus dem ersten Buche Moses und aus dem Propheten Isaias. Auch wurde aus dem Deutschen ins Hebräische nach Schröder's Uebungsbuche eine Anzahl evangelischer Perikopen übersetzt, und mit Hinweisung auf die Grammatik von dem Lehrer zu Hause verbessert.

6. Deutsch 3 St. — Hr. Oberl. Böbel. 1 St. Theorie des Styls, 1 St. mündliche Correctur der Aufsätze, 1 St. Redeübungen und Vorlesung und Erklärung von Musteraufsätzen. Außerdem 1 St. Geschichte der deutschen Literatur nach Heinsius, Kunisch, Schaller und Pölitz, mit Vorlesung und Erklärung ausgewählter Stücke aus den verschiedenen Zeitaltern — derselbe.

7. Mathematik 4 St. — Hr. Gymn. L. Brettner. In 2 St. wurde die ebene Trigonometrie wiederholt, und die Stereometrie und die Lehre von den Kegelschnitten nach eigenen Heften neu vorgetragen; in 1 St. wurden die Gleichungen der ersten 3 Grade gelehrt, und in 1 St. Uebungen in schriftlichen Ausarbeitungen vorgenommen, wobei meistens Aufgaben aus der sphärischen Astronomie, Geodäsie, mathematischen Geographie gelöst wurden.

8. Geschichte 3 St. — Hr. Gymn. L. Liedtki. Allgemeine Geschichte der Völker und Staaten bis auf die französische Revolution, nach eigner Bearbeitung.

9. Physik 2 St. — Hr. Gymn. L. Brettner. Die Lehre von der Elektricität, vom Galvanismus, Magnetismus, Thermo- und Elektro-Magnetismus und Chemismus, nach seinem in diesem Jahre herausgegebenen Handbuche: „Leitfaden der Physik beim Unterrichte derselben auf Gymnasien von H. A. Brettner. In Commiss. bei Josef Max und Comp. in Breslau."

10. Zeichnen 1 St. — Hr. Gymn. L. Rotter.

Secunda. Ordinarius Hr. Oberl. Heimbrod.

1. Religion a) für die katholischen Schüler, wie in Prima. b) für die evangelischen Schüler, wie in Prima.

2. Griechisch 6 St., und zwar 2 St. Herodot — der Director. Aus dem 6. Buche die letzten 46 Capitel statarisch und ein Theil des 7. Buches kursorisch; 2 St. Sprachlehre und Composition — derselbe. Wiederholung des etymologischen Theils, Syntax nach Buttmann und nach Rost's und Wüstemann's Anleitung zum Uebersetzen ins Griechische 1. Th. 2. Curs; Composition nach der eben genannten Anleitung und nach zusammenhängenden Stücken aus klassischen Schriftstellern; 2 St. Homers Ilias 15. und 16. Gesang — Hr. Religionsl. Hänsel.

3. Latein 8 St., und zwar 2 St. Virgil's Aeneis, im 2. Buche von V. 268 bis ans Ende und das ganze 3. Buch. — Hr. Gymn. L. Wolff; 2 St. Cicero de amicitia ganz und de senectute 10. Capitel — Hr. Oberl. Heimbrod; 3 St. Styl und Grammatik — derselbe. 2 St. wurden zur lateinischen Grammatik nach Zumpt verwandt, und eine Stunde zum Uebersetzen aus dem Deutschen ins Lateinische nach Zumpt's Anleitung, aus welcher 33 Stücke übersetzt und memorirt wurden. Auch wurden mehrere freie Aufsätze von den Schülern angefertigt. 1 St. lateinische Sprechübungen über römische Alterthümer — derselbe.

Die griechischen und lateinischen Schriftsteller wurden, da das frühere Verfahren, sie lateinisch zu erklären, für den untern Curs dieser Klasse noch für zu schwierig befunden wurde, in diesem Schuljahre deutsch erklärt, die Schüler aber angehalten, Uebersetzung und Erklärung ganz frei zu Hause auszuarbeiten und in besondere Hefte einzutragen. Für die Uebung im Lateinsprechen wurde eine besondere Sprechstunde eingeführt.

Privatim lasen die Schüler der beiden obern Klassen die Fortsetzung einiger in der Klasse erklärten Klassiker.

4. Hebräisch, der obere Curs 2 St., wie in Prima; der untere 1 St. allein — Hr. Religionsl. Hänsel. Die Elemente der Sprachlehre nach Gesenius, Uebersetzung und Erklärung von 2 Capiteln aus dem ersten Buche der Könige.

5. Deutsch 3 St. — Hr. Gymn. L. Liedtki. Theorie des Styls nach Pölitz und Reinbeck, Verbesserung der Aufsätze, Erklärung deutscher Klassiker und Uebungen im Declamiren. — Geschichte der deutschen Literatur nach Heinsius, Kunisch und Pölitz, 1 St — Hr. Oberl. Böbel. Von Göthe bis auf die gegenwärtige Zeit mit Vorlesung und Erklärung ausgewählter Stücke.

6. Französisch 1 St. — Hr. Oberl. Heimbrod. Die Lehre von den unregelmäßigen Zeitwörtern nebst deutsch-französischen Uebungen nach Hirzel. Aus dem Französischen ins Deutsche wurden nach C. Menzel's Handbuche der neuern französischen Literatur die Abschnitte von Segur dem Jüngern, de Pradt und Jomini übersetzt.

7. Mathematik 3 St. — Hr. Gymn. L. Brettner. In 2 St. wurde die zweite Hälfte der Epipedometrie nach Wiechota's Lehrbuche und die ebene Trigonometrie nach eigenen Heften erklärt, und in 1 St. das Quadriren und Kubiren, so wie das Ausziehen der

Quadrat- und Kubikwurzel aus polynomischen Größen gelehrt, und die Lehre von Logarithmen und von den Gleichungen des ersten Grades mit einer und mehrern unbekannten Größen nach eigenen Heften vorgetragen.

8. Geschichte 2 St. — Hr. Oberl. Böbel. Geschichte der Griechen von der ältesten Zeit bis zum Untergange der griechischen Freiheit, und Geschichte des Mittelalters, nach eignen den Schülern gegebenen Dictaten.

9. Physik 2 St. — Hr. Gymn. L. Brettner. Die Lehre von festen, flüßigen und luftförmigen Körpern, vom Schalle und von der Wärme, nach seinem eigenen gedruckten Leitfaden.

10. Zeichnen 1 St. — Hr. Gymn. L. Rotter.

Tertia. Ordinarius Hr. Gymn. L. Brettner.

